



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Electo Cameracensi, sancti Auberti & sancti Gilleni Abbatibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

tate presentium concedimus facultatem. Decernimus ergo &c. Datum &c. ut supra, v. i. Idus Maij.

*CANONICIS ET CLERICIS
Tornacen. Ecclesie.*

Epist. 157.

CUm à nobis petitur &c. usque ad verbum postulationibus inclinati, ne coram alio iudice trahamini, nisi per appellationem, in causam, quamdiu sub examine venerabilis fratris nostri Episcopi Tornacen. vel dilectorum filiorum Decani & Capituli vestri stare juri voveritis, præterquam de nostro vel Legati nostri mandato, auctoritate vobis presentium indulgemus. Liceat quoque vobis, cum generale interdictum terræ fuerit, exclusis interdictis & excommunicatis, clausis januis, non pulsatis campanis, & suppressa voce, divina officia celebrare. Nulli ergo &c. Datum &c. ut supra, i. v. Idus Maij.

*CANONICIS ECCLESIAE
beate Marie Tornacen.*

*Epist. 158.
Quod fructus
majoris altaris
possint divide-
re.*

CUm à nobis petitur &c. usque ad verbum illud assensu, ut redditus, qui per temporum vices à diversis personis ad usum vicariorum majoris altaris Ecclesiae vestrae proveniunt, colligantur in unum, & per ministros vestros inter vicarios aequaliter dividantur, qui communi assensu Capituli, secundum antiquam & rationabilem Ecclesiae vestrae consuetudinem institui valeant, & similiter amoveri, liberam vobis auctoritate presentium concedimus facultatem. Decernimus ergo &c. Datum Romae apud sanctum Petrum.

*CANONICIS ECCLESIAE
beate Marie Tornacen.*

*Epist. 159.
Confirmatio
constitutionis
causidam, super
fructibus bene-
ficii Ivonis.*

CUm à nobis petitur &c. usque ad verbum illud vestris postulationibus gratam convenientiam impendentes, institutionemque quam super fructibus beneficii, quod fuit olim Hyvonis de vinea, cujus etiam donatio ad vos nullo medio pertinebat, de voluntate & consilio venerabilis fratris nostri Stephani Episcopi vestri in Ecclesia vestra fecistis, videlicet ut fructus illi ad agenda communia negotia Capituli perpetuo debeant applicari, sicut ipsa institutio rationabiliter facta est, & haecenus observata, & in authentico exinde confecto plenius continetur, auctoritate aposto-

lica confirmamus &c. Nulli ergo &c. Datum &c. ut supra, i. i. Kalend. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

*ELECTO CAMERACENSI,
sancti Auberti & sancti Gilleni
Abbatibus.*

CUm in ecclesia Dei omnia fieri debeant ordinare, non est à Prælatibus Ecclesiarum ex impetu vel pro quaestu ad sententiam procedendum: sed ad hoc eò majori debent maturitate procedere, quò turpius & absolum magis existit de prolata temere sententia quam de ferenda minus rationabiliter reprehendi: quorum alteri, primo videlicet, poena ex presumptione debetur, secundo vero venia pro ignorantia vel diligentia minori donatur. Sanè significantibus dilectis filiis Abbate & Conventu S. Vedasti Atrebaten. didicimus quòd si quando inter eos & venerabiles fratres nostros Episcopos, & dilectos filios Archidiaconos, in quorum parochiis aliqua eorum Obedientia vel capella consistit, super aliquo controversia vertitur, vel alicui ipsorum non satisfaciunt juxta desiderium postulantis, ipsi Ecclesias eorum in suis parochiis constitutas interdicto subjiciunt, & interdictum ipsum, nisi placati muneribus, non relaxant. Volentes autem Ecclesiae sancti Vedasti paterna sollicitudine providere, eisdem Episcopis & Archidiaconis per scripta nostra precipiendo mandavimus, ne ejus Ecclesias sine manifesta & rationabili causa interdicto supponant, nec occasione secularium negotiorum aut quaestionum emergentium, seu causa lucri captandi, Cappellanos in ejus Ecclesiis commorantes impediunt quominus in Ecclesiis suis divina valeant officia celebrare. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus, si praefati Episcopi vel Archidiaconi forsitan in Ecclesias eorundem Abbatis & Conventus sententiam interdicti minus rationabiliter duxerint promulgandam, vos de sententia ipsa, appellatione postposita, cognoscatis, & eam post cognitionem, si talem ipsam inveneritis, auctoritate freti apostolica relaxetis. Nullis literis &c. harum tenore tacito. Datum Romae apud sanctum Petrum i. i. Kalend. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

*Epist. 160.
Vt injustam in-
terdicti senten-
tiam revocet.*